

222 Protesilao e Laodamia ●●○

Cum Achivi classem ad Troiana litora adpulissent, ceteris cunctantibus, Protesilaus primus e navi prosiluit et ab Hectore confestim est interfectus. Uxor eius Laodamia, Acasti filia, cum id audisset, deos precata est ut sibi cum marito mortuo per aliquot horas colloqui liceret. Id cum impetravisset, Mercurius ad eam defunctum virum ex Inferis reduxit, cum quo illa collocuta est. Sed, cum iterum obiisset Protesilaus, illa viduitatis solitudinem pati non valuit. Itaque fecit sibi simulacrum aeneum, Protesilao simile, et in thalamo posuit, ubi illud colere coepit. Cum famulus, matutino tempore, poma ei adferens, per rimam aspexisset vidissetque eam simulacrum tenentem atque osculantem, nuntiavit Achasto patri eam moechum in cubiculo habere. Qui, cum venisset et in thalamum prorupisset, vidit effigiem Protesilai et, ne diutius mulier torqueretur, imperavit ut simulacrum, pyrā facta, combureretur. In quam Laodamia, dolorem non sustinens, se immisit atque flammis consumpta est.

* PAUL
DEI

223 Imperatori romani del terzo secolo ●○○

Post Philippum, Decius, in Pannonia inferiore natus, imperium sumpsit. Bellum civile, quod in Gallia motum est, oppressit; filium suum Caesarem fecit et secum in imperio adiunxit; Romae lavacrum publicum aedificavit. Cum imperassent biennio ipse et filius, uterque in barbarico bello interfecti sunt. Mox imperatores creati sunt Galus Hostilianus et filius eius Volusianus. Sub his Aemilianus in Moesia res novas (*ribellioni*) molitus est; ad quem cum ambo profecti essent, interfecti sunt, non completo biennio. Nihil clari omnino gesserunt: solum pestilentia et morbis atque aegritudinibus notus eorum principatus fuit. Deinde Licinius Valerianus, in Raetia et Norico agens, ab exercitu imperator factus est; Gallienus quoque Romae a senatu imperator est appellatus. Horum imperium Romano nomini perniciosum et paene exitiabile fuit vel infelicitate principum vel ignavia. Valerianus in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore Persarum rege superatus et captus, apud barbaros ignobili servitute consequuit.

224 Achille imboscato nell'isola di Sciro ●●●

Thetis Nereis, cum sciret Achillem filium mortem occubiturum esse, si bello Troiano interfuisset, eum in insulam Scyrum clam misit et ad Lycomedem regem commendavit. Ille Achillem inter virgines filias habitu femineo servabat. Etiam nomen eius mutaverat. Nam virgines eum Pyrrhum nominaverunt quoniam flavis capillis fuit et Graeci rufum "pyrrhon" dicunt. Achivorum duces autem, cum cognovissent eum ibi latere, ad regem Lycomedem oratores miserunt qui peterent ut eum ad bellum mitteret. Eis respondit rex Achillem apud se non esse et potestatem fecit ut in cuncta regia quaererent. Cum legati intelligere non possent quae feminarum Achilles esset, Ulixes in regio vestibulo munera feminea posuit, in quibus etiam clypeum et hasta

erant, et subito tibicini imperavit ut signum proelii caneret. Quod cum audisset Achilles, hostem putans adesse, vestem muliebrem dilaniavit atque clypeum et hastam arripuit: ex hoc oratores eum cognoverunt.

225 L'uccisione di Cesare ●●○

Coniurati, cum Caesarem interficere statuissent, ante Pompeii statuam in curia eum exspectaverunt. Cum autem dictator in curiam intravisset, processerunt contra eum Cimber Tillius et Casca, qui sicā gulam eius percussit. Tunc alii coniurati accurrerunt cum gladiis et siccis. Cum inter eos etiam Brutum vidisset, quem tamquam filium amabat, genuit Caesar: «Tu quoque, Brute, fili mi» et statim caput suum togā velavit nec plagis restitit. Diu apud Pompei statuam mortuus iacuit, donec Antonius cum militibus armatis supervenit. Corpus eius deicere in Tiberim statuerant coniurati, sed, cum armatos milites vidissent, vehementer timuerunt et diffugerunt. Tum Antonius corpus Caesaris in Rostra vexit lecticā et ex Rostris vehementissimam orationem habuit ante populum, in qua summis laudibus Caesarem extulit. Recitavit etiam magna voce testamentum eius, quo bona sua populo Romano legabat. Romani postea eum in numero deūm posuerunt et diem, quo coniurati eum necaverant, diem parricidii appellavēre.

226 Roma invasa dai Galli ●○○

Galli Senōnes, cum oppidum Clusium cepissent et vastavissent, ad Urbem contenderunt et exercitum Romanorum apud Alliam flumen profligaverunt. Galli victores paulo ante solis occasum Romam pervenerunt, ubi Romana iuventus, cum hostes adesse audivisset, duce Manlio, in arcem Capitolii conscendit ut barbaris resisteret. Seniores vero in curia sedentes adventum hostium obstinato animo exspectabant, insignibus honorum ornati, ut in sua dignitate morentur. Interea Galli, in curiam ingressi, cum viros ornatu et maiestate deis simillimos conspexissent, animo perterriti steterunt velut si simulacra vidissent. Sed, cum unus ex illis barbam senis cuiusdam permulisset, scipione eburneo a senatore verberatus est. Quem Gallus iratus occidit et ab ea re initium caedis ortum est ceterique senatores in sedibus suis interfecti sunt.

227 Macchine da guerra per abbattere un serpente ●●○

Atilius Regulus in Africam primus ex ducibus Romanis bellum traiecit et in Libyae regionibus contra Carthaginienses conflavit. Ibi urbem Clypeam et trecenta castella expugnavit, neque cum hominibus solum, sed etiam cum immanibus feris et monstris dimicavit. Nam, cum apud Bagredam flumen castra habebat et hostium impetum exspectabat, anguis mirae magnitudinis exercitum Romanum terruit, multos milites ingenti ore corripuit, alios caudae ictibus elisit, alios halitu pestilenti exanimavit. Milites autem nullo modo ensibus vel sagittis monstrum perforare valebant: nam durissi-

ma squamarum lorica omnia tela repellebat. Itaque ad machinas confugere necesse fuit et beluam immanem tamquam arcem munitam multis ballistis oppugnare.

228 Il denaro è roba del diavolo ●○○

Quidam sanctus heremita tantum a divitiis manus suas excutiebat, ut nullum denarium ne in elemosina quidem accipere vellet. Quidam autem, inopiam eius miseratus, nummum aureum in cellam eius proiecit et recessit. Sed heremita, postquam nummum vidit, oculos avertit tamquam serpentem videret. Cum tangere denarium non auderet, arrepto baculo, coepit illum expellere et deducere usque ad ostium cellae suae. Frequenter baculo denarium levabat ut extra gradum liminis traiceret, sed semper ille in terram recidebat. Sic totam diem laboravit, sed nihil profecit. Homo autem, qui nummum in cellam proiecerat, accedens quaesivit cur tantum laboraret. Qui ait: «Nonne vides diabolum istum, pro quo discordiae et rixae oriuntur in universo mundo? Quia ego non audeo eum tangere, rogo te ut eum extra domum meam deportes». Et ille subridens: «Ora pro me, pater, et ego te ab hac peste liberabo». Et, accepto denario, reliquit hominem in pace.

229 Gli Ateniesi salvano la Grecia ●●●

Cum Iones, qui Asiae maritimas oras incolebant, quingentesimo anno ante Christum natum a Persis defecissent et auxilium contra eos a Graecis petivissent, Athenienses viginti naves auxilio (*dat. di fine*) miserunt, Eretrienses quinque. Sed Dareus, Persarum rex, Graecos compluribus proeliis vicit, Iones imperio suo rursus subegit et anno quadringentesimo nonagesimo, cum ingentem classem paravisset, ad Graeciam versus solvit ut Athenienses et Eretrienses puniret. Huic classi Datis atque Artafernes praeerant, qui ad Euboeam insulam cum appulissent, statim Eretriam oppugnare inceperunt. Per sex dies acerrime resisterunt Eretrienses oppidani, septimo tandem die Persae victores fuerunt et urbem occupaverunt et diripuerunt. Tunc Hippias, exsul Atheniensis, qui apud Darei exercitum hospes erat, Persis persuasit ut ad Atticae oram navigarent et Athenas oppugnarent. Cum autem Athenas iter facerent, in campo Marathonio Athenienses, quibus praeerat Miltiades, eis obviam venerunt. Acerima fuit pugna, sed tandem Athenienses victores discesserunt et barbaros ex Graecia pepulerunt.

230 Gli aruspici predicono il regno di Dionigi ●●●

Dionysio, qui clarissimus inter Syracusarum tyrannos fuit et multos annos in patria imperium obtinuit, initium dominatus haruspicum responsum praedixerat. Cum enim equitaret per agrum Leontinum et equum suum in fluminis undas demisisset, hic ex aquae voraginibus non exstitit. Dionysius cum contendisset frustra ut equum ex fluctibus extraheret, discessit tristi animo, sed, cum aliquantum processisset, subito hin-

nītum audivit et, cum respexisset (*essendosi voltato indietro a guardare*), equum suum laetus conspexit, in cuius iuba densum apium examen consedērat. Cum autem hoc prodigio obstupuisset nec quid significaret intelligeret, Dionysius haruspices interrogavit, qui his verbis responderunt: «Sicut equus ex undis repente exstītit, sic tu in patria tua existes et in regno considēs sicut apes in equi iuba». Nec eventus praedictionem haruspicum fefellit. Nam post breve temporis spatium Dionysius Syracusis regnare coepit.

231 La parte finale del testamento di Augusto ●●●

Plurimae gentes in principatu meo expertae sunt populi Romani fidem, quibus antea cum populo Romano nullum exstiterat legationum et amicitiae commercium. In consulatu sexto et septimo, postquam bella civilia exstinseram et per consensum universorum summam rerum omnium consecutus eram, rem publicam ex mea potestate in senatus populique Romani arbitrium transtuli. Quo pro merito senatus consulto Augustus appellatus sum. Ad meum honorem postes aedium mearum publice laureis vestiti sunt coronaque civica super ianuam meam fixa est et clipeus aureus in curia Iulia positus, et per inscriptionem eius clipei testatum est eum mihi a senatu populoque Romano donatum esse. Cum tertium decimum consulatum gerebam, senatus et equester ordo populusque Romanus universus appellavit me patrem patriae idque inscribendum esse censuit in vestibulo aedium mearum. Cum scripsi haec, annum agebam septuagesimum sextum.

232 Vecchi lucidi di mente ●○○

Non omnibus misera est senectus. In Quinto Fabio Maximo sene, qui Cunctator cognominatus est, quia cunctatione Hannibalem iuveniliter exsultantem molliverat (*aveva sfiancato*), maxima erat comitas et gravitas, neque aetas mores eius mutaverat. Nec vero in armis quam in toga (*nell'attività civile*) fuit praestantior. In eo enim multae etiam litterae fuerunt; omnia quae audiverat et viderat memoriā tenebat. Non omnes clari viri in bellis atque in triumphis vitam degerunt; multi quiete et pure atque eleganter (*con molto decoro*) placidam ac lenem senectutem vixerunt: Plato, maximus inter philosophos, uno et octogesimo anno scribens e vita migravit; Isocrates, eximius Atheniensis orator, quarto et nonagesimo anno libros scripsit vixitque quinquennium postea; Isocratis magister, Gorgias Leontinus, centum et septem complevit annos neque unquam in suo studio atque opere cessavit; Marcus Cato senex historiarum septem libros scripsit.